



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Dormi Secvre: Vel Cynosvra Professorvm Ac Stvdiosorvm Eloqventiæ,

in qua Centvm Et Viginti Themata Oratoria. Non Solvm Stvdiosis, Sed &
Professoribus eloquentiæ, ac pietatis veræ amantibus utilissima &
pernecessaria explicantur ; Cum Indice rerum atq[ue] verborum locupleti

Tympe, Matthäus

Coloniæ Agrippinæ, 1650

XLVIII. Dehortatio à vitioso amore sui, quo quis solùm studet suis
commodis, &c

urn:nbn:de:hbz:466:1-38994

Ananias, Misael, Azarias in Babylone captivi, contempta Regis mensa leguminibus vescuntur, a-
quamque bibunt & pulchriores fiunt, &c.

*Plura Exē-
pla in specu-
lo honorum
Ecclesiast.*

In EPILOGO monebis Auditores, ut in omnibus ci-
bis semper vitent satietatem, seu tantum cibi su-
mant, quantum ad vires corporis, pro ratione sta-
tus & officii quod exercent, comparandas fuerit
satis: & si consueverunt largiori cibo potuque se re-
ficere, invocato divino auxilio pravam consuetu-
dinem paulatim melioris beneficio expugnēt, cer-
tum etiam tempus comedendi, ut prandii, cœnæ,
observent, & lautitiam, seu laboriosum edulio-
rum apparatus devitent.

**XL.VIII. DEHORTATIO A VITIO-
so amore sui, quo quis duntaxat studet suis com-
modis, nulla ratione habita vel divi-
na gloria, vel alterius finis
honesti.**

EXORDIUM ducetur à Propheta Apostoli Pauli:
*in novissimis diebus erunt homines seipso aman-
tes.*

In PROPOSITIONE dices: Cùm isthoc vaticini-
um. S. Pauli in hac mundi senectâ videamus esse
impletum, deliberatum tibi esse Auditores à vitio-
so hoc amore dehortari.

CONFIRMA. I. LOCUS ab effectis vel incommodis.
Nam PRIMò, esse eum radicem, fontem, ac semi-
narium omnium vitiorum, indicat S. Paulus, cum
prædictæ prophetiæ statim subjungit: *cupidi, elati,
superbi, blasphemi, parentibus non obediētes, ingrati, sce-
lesti, sine affectione, sine pace, criminatores, incontīnētes,
&c. & voluptatū amatores magis quàm Dei.* SECUN-
Dò, Valde humanam mentem excæcat, vel, (ut lo-
quitur S. Greg. Ho. 4. in Ezech.) vehementer clau-
dit oculum cordis, & idcirco nō facilè agnoscitur,
maximè in excellentibus virrutum operibus.

L 5

L 6

Col. 3. v. 5.

II. Locus, ab adjuncta impietate in Deum, cum sit species Idololatriæ: si enim avaritia est servitus, ut loquitur Paulus, simulachrorum, eò quod avarus pecuniam suam, dum ea uti non audet, quasi statuam in arca defixam colit & odorat: si quoque guloforum & ebriosorum, teste eodem, Deus venter est, eò quod neglectus veri Dei mandatis, cuculæ tantum curandæ operam dare videntur, quanto magis amor sui suæq; cupiditatis explendæ desiderium, erit idolorum servitus, ex quo & avaritia & gula, cæteræque vitiorum capitalium pestes originem suam ducunt.

Phil. 3. v. 19.

In CONFUTAT. dices, Te non diffiteri, difficile esse omnem inordinatum sui amorem exscindere, sed Christum, cum dixisset (Matt. 16. v. 24.) qui vult venire post me, abneget semetipsum, mox adiecit: Et tollat crucem suam, ut indicaret labore opus esse, & securim ad hanc vitiorum radicem ponendam, crucem autem nobis non Christi, sed nostram esse ferendam, ut carnem nostram crucifigamus cum concupiscentiis ejus, Ga. 5. v. 24. sicut crucifixit Paulus, 1. Cor. 6. Castigo, &c. Galat. 6. Et mihi mundus, &c. Si autem hæc crucicula nobis sit onerosa, cogitandum nobis esse, nos duce Christo crucifixo, viam crucis & mortificationis ingredi, qui dixit: Iugum meum suave est, & onus meum leve, Matth. 11. v. 30, ideo enim addit: Et sequatur me.

1. Cor. 10. 11.

Col. 3. v. 17.

In PERORATIONE hortaberis Auditores, ut omnino studio hunc fontem vitiorum obstruere, hanc radicem funditus extirpare contendant. Quod quòd ipsis sit facilius, dices, in marutina oratione ipsis apud animum suum esse constituendum & proponendum, se omnia ad gloriam Dei, non ad commodum suum esse facturos, juxta hoc consiliū Apostoli: Si ve manducatis, si ve bibitis, vel aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite. &: omne quodcumq; facitis, &c. ita enim fore, ut non solum amorem illum proprium, qua-

quasi domesticum latronem, conficiant; sed etiam operibus, alioquin adia phoris, ut est opus edendi & bibendi, si in gratia Dei sint, promereantur augmentum gratiæ & gloriæ.

*XLIX. LAUS TIMORIS DOMINI,
Optimi Studiosorum Moderatoris
ac Padagogi.*

EXORDIUM à periculis eorum qui laxam habent conscientiam, quòd non solum lethalia peccata, ut aquam hauriant: sed venalia etiam parvipendant, cum tamè nullum tam pusillum sit peccatū, cujus non Deus rationem sit exacturus, & quod, si hic non acta sit ejus pœnitentia, in purgatorio postea diris suppliciis non sit luendum.

PROPOSITIO: Te igitur Auditores ad optimū laxæ conscientiæ remedium ad Timorem Dei, invitaturum.

CONFIRM. I. LOCUS à dignitate, quæ patet ex iis Spiritus S. oraculis, quæ quosuis timentes Deum pronūciant Beatos: (*Psal. III. v. 1. Prov. 28. v. 34. Syr. 15 v. 25. 34. v. 17.*) & ex iis, quæ Timorem Deū antefereunt aliis donis Spiritus Sancti. (*Syr. 10. v. 27. 23 v. 37. 35. 34. v. 27.*) Adhæc ex iis quæ in eo initium, progressum, & perfectionē Sapientiæ constituunt, (*Prov. 1. v. 7. Iob. 28. v. 28 Syr. 1. v. 20. 12. v. 13.*) (Atq; hic licebit excurrere in nobilitatem sapientia, quam B. Iob expressit *c. 28. v. 12. & Salo. Prov. 3. v. 13. & seq. 8. v. 11. Sap. 6. v. 13. 7. Syr. 1. v. 4. 37. deinde Es. 11. v. 2.*) Timor Domini inter septem Spiritus Sancti dona, quæ supra Christum conquiērunt, numeratur: quæ septē dona S. Aug. & Greg. non semel conferunt cū septem Beatitudinibus à Christo traditis: ac donum quidem Timoris cum prima beatitudine. Cōferes hoc donum cum reliquis omnibus bonis fortunæ, corporis, & animi. Hæc enim cum pleraque

*Vid Oras.
19. P. Delry
de Timore
Dei in opere
Mariano.*

flu-